

natus non subjecti. Sin ex ancillis ; servi erunt : §. *servi autem aut.* 4. *Inst. de jur. pers.* qui vel dominos aliquos, vel, si manumissi fuerint, non ut libertorum liberi, sed ut ipsi liberti, Patronos recognoscent. Unde apparet, quod eorum, quæ libertorum liberi sunt, nec successio, proindeque nec tutela (quæ propter successionem venit) ad patronos pertineat. Nisi libertorum liberi, in libertate nati, sine testamento, & sine cognatione decesserint : tunc enim (si modò fides habenda constitutioni, à Cujacio, 20. *obs.* 34. in lucem reproductæ) patroni libertorum liberis succederent: ac proinde etiam ad eorundem tutelam vocarentur.

LVIII.

An, si ex pluribus patronis aliqui moriantur, relictis liberis ; unà cum superstitionibus patronis, etiam defunctorum liberi ad tutelam libertorum vocentur?

Quoniam successio libertorum non aliter ad patronorum liberos pertinet, quàm si proximi sint : sive ejusdem patroni, sive diversorum patronorum liberi sint : §. *sed nostra.* 3. *circa fin.* *Inst. de success. liber.* defunctorum autem patronorum liberi, non proximi, sed remotiores sunt, quàm alij adhuc superstites patroni : *l. si ex duobus.* 12. *ff. de assig. libert.* Inde pronum erit inferre, quod nec tutela ad ejusmodi defunctorum patronorum liberos, sed ad solos patronos superstites pertineat. *l. tutel.* 3. §. *proinde* 7. *ff. de legit. tut.*

LIX